

runt, imò solidiores in asserendâ Fide perstare Christianos, tostos quidem disluentibus flammis, atque inde à capite ad calcem plagatos, unâque incredibili gelu rigentes (incruderat siquidem hyems.) totis triginta diebus & uno; in Nangasaquiana reducunt vincula. At enim, sanctos priusquam viros ibi constituant, vehementiori ipsos in itinere provocant tentatione. Nam hortum offendentes, placidè discurrentibus aquis & in fontem confluentibus amœnissimum, toto nudatas corpore speciosas triginta feminas, intringendas conjiciunt, presentibus Nostri, qui tamen clausis obfirmatè luminibus, Uliæoque genio auribus oclusis, Sirenes & Venerem felicius equidem & fortius quam Plutonem nuper contemptui habuere, eximij, Deo auxiliante, triumphis præclari.

562. In pristino reclusi Tulliano à sexta Februarij ad tertiam Septembris, inedia, plagis, multisque confecti arumnis atque gravati, vegetioribus tamen animis aucti, pias, ut in Omurenibus caveis usu tenebant, exercitationes, queis se ad ultimum præpararent agonem, nihilo remissus colebant. De Ecclesiâ autem Regionis solliciti, utut poterant, Fideles hortabantur, Nosterque in primis F. Thomam à S. Augustino Sodalem suum (laureâ quoque martyrij, diverso tamen tempore, illustrem)

furtim illuc ingressum de christiana Japoniorum Republica, pro ea qua erat experientiâ prudentiâque, docuit, atque ut in arctissimis posita juvaretur, monitis egit. Interea loci, Tucanaga Curiam adierat, Imperatorem, uti certum de agitato negotio faceret, extremumque in Religiosos viros decretum afferret. Id priusquam juberet exequi, feminis (de quibus memoravimus) piensissimis exilio mulctatis, Religiosis, numero quinque, hæcenus vincularis, lectum addidit Præbyterum Clericum, gente Japonium, Joannem Hieronymum, à Cruce, aliàs de Torres, Tertij Franciscanorum Ordinis, simili omnibus comminato flammarum postremo supplicio, ni à Christi ad gentilium castra transirent. Quod vero nihil se minis aut suasionibus, quas adjecerat, proficere animadvertit, oleum imò & operam perdere, ad ignem tandem provocat, sensim qui ultos forsitan renunciare Christo compellat.

563. Præfinita supplicio die, concurrentibusque plurimis acervatim gentilibus, in Theatrum Religiosi viri ducuntur, singulisque, ad suam quisque columnam, levi nexu constructis, ut expedit se possent facilè, si à Christo deciscere mallent, lignis circum aggregitis, atque ut morosis incrementis flagrant arte compositis, flammæ admoventur, quæ tamen ocyus & lites corripuit, & frondibus constructum umbra-

culum juxtaque Apostolicos viros, qui Crucifixi Imaginem habentes ob oculos, ejusdem amoris propagandæque ac tuendæ Fidei causâ (ut scriptis litteris palam omnibus à lectore fieri Tyranus præceperat) alacres ac læti in cineres usque redacti, evolarunt in cœlum, immatensibili coronâ donandi: die 3 Septembris anno 1632. Nostro 52 ætatis agente, proximaque die totidem à suscepto Baptismate annos computaturo.

564. Illustres sui Confessores Deus non uno tantum signo conspicuos reddidit, egregio lumine super ipsos, quo patiebantur tempore, in aere, cætera offusos nubibus, collucente, aveque, columbæ instar, expansis alis circum volante; quæ portò mira Paganis hominibus tam visa sunt rara, ut perciti admiratione, Magnum utique Deum, cujus gratiâ passi fuerant ejusdem Mylæ, plenis buccis exclamare non fuerint veriti. Fideles Sanctorum reliquijs inhiantes Tyranus cohibuit, sedulo curans, ut collecti cineres in mare omnes projicerentur; nihilo tamen ipsi animos deponentes, exuvias sacras, vestes, & utensilia diligentissimè conquisitas, religioni fovendæ & pietati asservarunt, Nostrique thoracem Mexicum deduxerunt in Primarium Augustinianorum Cœnobium, ubi ad Oratorium Novitiatum, quantum fas est per Apostolica decreta, piè colitur,

unâ cum Epistola quam Bartholomæus ad nepotem suum dederat è carceribus Omuranis 30 Augusti 1630.

565. Oportundè maximopere Mexicanis certè est, nullisque parcendum diligentij & sumptibus, ut Beatificationis fortissimi & incluyi Viri causa apud Romanam curiam agatur, S. P. Q. Mexicani excitatis decretis illis quæ 11 Februarij anno 1684 subscripta fuere, innovatisque ad Catholicum Regem nostrum, & ad Generalem Ordinis Divi Augustini Præpositum 2 Maji ejusdem anni datis Epistolis, ut ex umbra in solem prodeant Declarationes super Martyrio factæ Nostri, quæ, editis de ejus Canonizationis negotio Summarijs habentur, in Summario primo n. 67. pag. 284. n. 111. pag. 459. & in Summario ultimo n. 13 littera B, de quibus laudatus Sicardus fidem facit indicando infra loco. Ante quam verò scripta Nostri recenseamus, placet unum è multis in ejusdem laudem congestis Epigrammatis, hæc subnectere. Habentur edita ante primum Librum à P. F. Petro Gaspere de S. Augustino ejusdem Ordinis, apud Insulas Philippinas Desinitore Procuratoreque Generali in Europam dimisso, in Conquisitione Philippinarum edita Matrivi 1698 typis Emmanuelis Ruiz de Murga. Elogium verò sic ad geminum Bartholomæi martyrium adludit.

Per flammam, per aquas, per tot
tormenta, probaris. *Bartholomae, Deo.*
Scilicet obrizum ars examinat igne.

In calidis maculas fullo dealbat aquis.
Haec sic purificant, simul & purgatis
utrisque.

Te quoque nil merito purius esse
Ignibus & limphis dum premia bina

Martyrij duplex te diadema manet.

Jam ad ejus scripta venientes,
extant materno sermone, hoc est,
hispano, sequentia.

Historica narratio *Vitae & Mar-*
tyrij illustrium PP. FF. Petri de
Zuñiga Ordinis S. Augustini, &
Ludovici Flores Ordinis S. Domini-
ci, & aliorum Japonensium natu,
qui apud Japonia Regnum passi fue-
re mense Augusti anno 1622.

Authographum Authoris ma-
nu exaratum in charta Japonia,
datum ad Provinciale Augusti-
nianorum SS. nominis JESU Phi-
lippinarum, inde Mexicum de-
ductum, habebat M. F. Marcellinus
de Solis Mexicanæ Provin-
ciæ ejusdem Ordinis quondam
Præfex, Academiæque Rector, ut
testis est Illmûs Sicardo, qui varia
se exemplaria transcripsisse addit,
è quibus alia in Philippinas Hi-
storix inferenda transmisit, alia
ipse Romam detulit, ut usui
essent Causæ Beatificationis di-
ci Patris Petri de Zuñiga, præ-
tereaque typis commisit cam-

dém Historiam narrationem in
memorato Libro suo *Christianitas*
Japonia à pag. 209 ad usque 219.
editionis Madritanæ Francisci
Sanz anno 1698 in folio.

Historicam aliam enarrationem,
Noster scripsit, *De Martyrio quo-*
rundam Religiosorum, & aliorumque
plurium Japonensium, qui excru-
ciati fuerunt in Regno Japonia mense
Septembris anno 1622.

Quam in eodem Sicardi Libro
legelis à pag. 220 ad usque 229
cujus authographum penes se ha-
bere propria Bartholomæi manu
formatum in papyro Japonienfi
ibidem Libri præmittit.

Epistolas aliàs spiritu plenas Si-
cardus ipse dedit in eo Libro ut
pag. 249, 250, & alibi, è quibus
unam in tabulario Ordinis S. Au-
gustini Manilensi asseruari, aliam
apud Archivium ejusdem Ordini-
nis Vallisoletanum Michoaca-
nensium custodiri monet, ut &
Basalenque testis de visu, loco
laudando.

Acta & Martyrium Nostri
levi tetigit manu mox nomi-
natus Magister Fr. Didacus Ba-
salenque in Historia Provincix
S. Nicolai Tolentinatis Michoa-
canensis lib. 1 cap. 12. fol. 57.
col. 3 & 4, qui, cetera diligens
& perdoctus Scriptor, in rebus
tamen Bartholomæi minus para-
tus monumentis, quæ in optatis
habebat, nondum perspectis &
ad crismam reductis, mirum non est
quod rumoribus delusus ab edita
Manilæ Vita Nostri, hunc An-

gelopolitanum crediderit, atque
infcius ejusdem in Conventum
Angelopolitanum migrationis è
Juritapundaro, ubi studia egerat,
hinc in Philippinas commi-
grasse non dubitaverit.

Præterea res gestas Nostri unà
cum Actis aliorum ejusdem Or-
dinis Martyrum edidit P. Fr.
Martinus Claver, Manilæ anno
1638 licet errore Typographico
legitur in Sicardo 1628, nimirum
quadriennio Nostri obitum præ-
cedente. Vidimus Claverij Opus
editum Manilæ 1638 typis Col-
legij S. Thomæ, legimusque ad
Regium S. Pauli Augustinianum
Mexicæ. Joannes Fernandez
Lechuga brevi narratione Mexi-
canis typis commissâ anno 1666.
Item Historia Provincix SS. Ro-
farij lib. 2 cap. 38 pag. 609 &
cap. 43 pag. 640. Historia Ex-
calceatorum S. Augustini tom. 2
dec. 5 cap. 2. Herrera in Alpha-
beto tom. 1. lit. D fol. 110 &
alij, quos refert Sicardus, om-
nium plenissimè Vitam & Mar-
tyrium complexus lib. 2 citati
sui Operis cap. 9 à pag. 239 ad
usque 264 quibus addimus Bal-
thasarem de Medina in Chroni-
cis Provincix S. Didaci Mexica-
næ pag. 244 & Betancurtium 4
part. Theatri Mexicani in de Ci-
vitate Mexicæ pag. 27 n. 132.

ILLMUS. D. M. D. F.
BARTHOLOMÆUS DE LEDESMA,
Natione Hispanus, in Nieva Op-
pido prope Ledesmam Salman-
ticensis ditionis Pagum, Bernar-

do de Ledesma, & Joannia Mar-
tin genitoribus usus est. Ad S.
Stephani Salmanticense Domi-
nicorum in insigne Collegium 19
Martij 1543 sacramentum dixit,
ac studijs deinceps intentus,
egregiâ doctrinâ evasit, cui re-
ligiosam observantiam adjunxit.
Ægydius Gonzalez Davila in Te-
atro Ecclesiæ Goaxacensis pag. 227
& ab ipso delusi, cætera accurat-
tissimi Critici de Scriptoribus
Ordinis Prædicatorum benè me-
riti, credidere, Bartholomæum
Mexicum trajecisse tum tempo-
ris, cum ad nos appulit Pro-
Regis nomine rerum potiturus D.
Martinus Enriquez, cui à factis
confessionibus esset. Fuit quidem
hoc itidem nomine clarus, lon-
gè tamen diverso tempore, & quo
anno Martinus Americanus petijt,
nempe 1568, Bartholomæus 11
totos annos Archiepiscopus Mexi-
canensis Governatorem egerat
vice Illmi. Præfulis D. F. Alphon-
si Montufar, qui senio gravatus,
eo usus adjutore fuit, è septen-
decim, quibus præfuit annis, duo-
decim, hoc est ad usque obitum
suum anno 1569, ut testis est,
utriusque acta brevi complexus
Illmûs Davila Padilla in Histo-
ria S. Jacobæ Dominicanæ Pro-
vinciæ lib. 2. cap. 47, cui præ-
ter alia momenta, id circo fides
habenda est, quòd, etiamnum
invivis agente Ledesma, scripse-
rit, perspectasque, si quis ullus,
res suorum habuerit, manu con-
tractaverit plurimas, & viderit,

aut ab ijs acceperit qui ipsi viderant. Accedit quod, ut est Chronologis nostris omnibus exploratum, D. Martinus Enriquez successor fuit datus Marchioni de Falces Mexicano Pro-Regi; at enim Marchione ad clavum Mexicum sedente, Noster Primarius Theologiae Antecessor Academiae Mexicanae, Pro-Rege ipso Comitibus Minervalibus assistente, inauguratus fuit, ut infra dicemus. Propterea sequuti Illmum mox laudatum Scriptorem, in ancipiti non relinquimus, Clarissimum Montufarem Mexicano Archiepiscopatu in devexâ aetate donatum, duos secum adduxisse Sodales, bonâ cum Generalis Magistri veniâ, qui non modò societati sibi essent, sed etiam in maximarum molimine rerum auxilio, atque ex illis primum delegisse Ledesmam, secundum F. Franciscum de Espinosa egregium iidem dotibus virum.

567 Ubi receperunt se Mexici, suis quisque partibus implendis dedere, Nosterque sic Archiepiscopi rebus intendit, ut Ordinis Infimul sui splendorem adauxerit Professore Theologiae apud suos amplius quindecim annis agens, pro ut D. Stephanus Portillo, Scholasticus Michoacanensis, in Decretis Licéciatus, Officialis & Vicarius Generalis in Ecclesia & Archiepiscopatu Mexicano, testis est in *Monito ad Lectorem* quod praefixit *Summario* à Nostro edito Mexici 1566, cujusque

fragmentum ita habet: *Cum igitur Doctissimus Ledesmus litteris & religione praeclarus, Salmantica, ubi divinum Theologiae studium praebuit, in hanc Urbem Patriam nostram venisset; postquam in Sacro Dominicanorum Gymnasio per annos quindecim & amplius sine intermissione divinam exposuisset doctrinam, non potuit non aliquam studiorum rationem inire, ut Sacramentorum brachilogum in lucem ibi emitteret. Quod munus christianissimi Archiepiscopi nostri in eius comitatu jam diu confeder, auctoritate injunctum suscepit, &c.* Adhæc, Magisterij gradu ab Ordinis Generali Magistro insignis, Universitati Mexicanae nuper erectæ cooptatus, laureaque redimitu Doctoris in pleno Consessu 15 Aprilis anno 1567 habito de more aetatis illius coram Pro-Rege Marchione de Falces, consentientibus suffragijs, Primariae Sacrae Theologiae Cathedrae moderanda perpetuo jure suffectus est Decano Mexico D. Alphonso Chico de Molina, qui ea sponte se abdicaverat, gravissimis alijs praepeditis negotijs & curis.

568 Hanc ubi septennio moderatus fuit Cathedram, ejusdem Academici privilegio Senatus obtinuit, sui vice M. F. Petrum de Pravia, ejusdem Ordinis, itidem que Universitatis alumnus, biennio quotidianas lectiones tradere, donec ipse demandarum sibi Prioris Mexicani Conventus munus absolveret. Venerant Mexicum anno 1572 Societatis JE-

SU Viri litteris aequè ac virtutibus nobilissimi, fundamenta jacturi Provinciae Ordinis sui in Hispania Nova, qui, ut erant eximia modestiâ, alijs animarum saluti propius concernentibus occupati, à Minervalibus abstinerant, donec Primario nostro theologicis de more thesibus publicâ in concerratione praesidem acturo, cæteri cum ipso Universitatis Proceres obsequij gratiâ & officij erga Doctissimos recens advectos Societatis Theologos, ut sua quoque in Gymnasio nostro symbola ponerent, invitarent, argumentantesque in primis P. Doctorem Petrum Sanchez, mox P. Doctorem Petrum Diaz, dein peritissimos Magistros alios eruditè juxta & modestè, acri & acutissima palaestrae ratione, libentissimè audierant, egregijs probatos laudibus, quibus & ipsi vicissim Nostrum è suggestu reponentem, qua erat eruditione praeditus, extulerunt, ut legere est apud P. Florenciam in *Historia Societatis Mexicanae lib. 3. cap. 12. n. 166. pag. 157. editionis Mexicanensis 1694.*

569 Hæc inter, Noster Vice Cancellarius Academicus creatus est (Cancellario Viro Clarissimo D. D. Sanctio Sanchez de Muñon in Hispaniam delegato, Ecclesiae Mexicanensis & cæterarum hujusce Americae pro gravissimis rebus Procuratore) qua ille functus provinciâ fuit ab 24 Martij 1568 ad usque 26 Ju-

nij 1572, quâ die ei ultrò cessit, forsân, quòd ab 1568 conscientiae arbiter adscitus à Pro-Rege D. Martino Enriquez, multisque gravatus negotijs, aliquibus se curis subducere in votis habuerit. Postmodum verò, scilicet anno 1580 Martino in Americam pergenti Meridionalem, Pro-Regis quoque honore in Peruvien-sibus Regnis illustri, non potuit quin comitem se daret optanti, atque apud se nacti Limeses Doctissimum virum, Primariae itidem Cathedrae Theologiae Universitatis suae praefecerunt. Pro insulis Ecclesiae Panamen-sis electus, recusavit tamen illas, quæ cum Philippus II Goaxacenses suffectas voluerit, paruit ille tandem, & anno 1583 Episcopus est consecratus. Redux ad nostros, Goaxacæ protinus se stitit, totumque Diocesanorum bonis curandis dedit. Illustria Antequerae pietatis, charitatis, & paupertatis monumenta, etiamnum extantia, reliquit.

570 Collegium à fundamentis crexit Divo Bartholomæo Apostolo sacrum proprio aere, quo etiam 28 millia uncialium argenti in fundum pro re-ditibus annuis dedit, 12 Collegijs, sexque insuper pupillis alendis, destinatis, ut qui egestate praepediti studia petere Mexicana non possunt, in eo instructi Gymnasio, Ecclesiae sint usui, quod Illustrissimum pridem audit. Adhæc, Cathedram pro docendâ morali Theologia

congruis stipendijs constituit, ab Ordinis Dominicanorum Professore regendâ, quem Episcopus pro tempore Goaxacensis maluerit, è duobus à Provinciali præsentatis, pro ut hac quoque ætate sic post 140 annos, præfixo tandem docendi loco Collegio altero à S. Cruce nuncupato, quod ad Tridentini præscripta conditum fuit Antequeræ, geminis ex tunc pro secularibus Collegijs ornata, ex quibus instructissimi viri prodierunt, in dies que efflorescunt totius Provinciæ decori & bono. Consilio ejus, levi que etiam, ut potuit, manu, Cœnobium pro Religiosis à Conceptione Virginibus fuit institutum, expensis suis è Mexicano à Regina Cœli Conventu deductis Sanctimonialibus fundatrici- bus. Duomillia octo regalia argentea in caput destinavit annuæ pensionis pro erogando quotidiano pane ad januam præcipui Dominicanorum Cœnobij venientibus. Atque ut in Ecclesia ejusdem Conventus duo per annum haberentur sermones, aliquotque Missæ offerrentur, ter millibus in sortem datis, provifum voluit. Demum, duo in Patria sua pro egenis Clericis Beneficia, vulgo Capellania, opportunè fundavit; nec immemor sui Salmanticensis Collegij, quo ad vixit in Episcopatu, mille argenteos unciales annuatim religiosus ejus usibus & necessitatibus destinaverat. Id verò in primis mirandum,

tot potuisse Episcopum, frugalitate suâ & paupertate, egregia condere, Ecclesiâ donatum provenientibus nevitquam divite, infimul que tam à capiendis muneribus abhorrentem, ut ne incivilis Indo videretur doliolum balsami porrigenti, obstinatè que ut acciperet sapius roganti, argentum pro Paræcia sua calicem in antidotum dederit. Tandem annis 21 à Consecratione, in regimine Diœcesis sollicitè positus, sanctè que traductis, plenus dierum & meritorum obiit, labente Februario anni 1604, atque in Cathedrali sua quiescit, ejusdem perennante memoriâ. Scripsit, jubente Archiepiscopo Mexicano Illmò Montutarc, Romano sermone

De septem Nova Legis Sacramentis Summarium, cum Indice locupletissimo. Mexici, excudente Antonio de Espinosa, cum privilegio, 1566 in quarto. Cujus raræ admodum editionis habemus exemplar in theca nostra libraria. Postmodum additionibus locupletius recusat

De septem Ecclesiæ Sacramentis Summarium denuo ab Authore recognitum, novisque additionibus augmentum. Salmanticæ apud H. Martiæ Galtij 1585 in fol. quod ad Maximum Societatis JESU Mexiceum Collegium vidimus.

Ad hoc ipsum Opus tandem illud reduci credimus cum Criticis Gallis, quod *Possévinus in Apparatu* laudat *Summarium ad Chri-*

Christianam religionem & pietatem spectans.

Plurima scripsit alia, quæ, veniente è Peruvia ad nostros, perire, fluctibus navem invadentibus, multa que subinde abripientibus. Ea inter obvolvi silentio non patimur, quæ Academicis monumentis nota sunt nobis

Opuscula de Justitia & Jure,

E iuggestu dictata, tantique à Doctoribus habita, ut dantibus operam Juribus addiscendis injunxerint, aulam Theologicam frequentarent, calamis excepturi proficua etiam ipsis, tum præcipuè, cum iuggestus pro enucleando Jure non dum tot fuerant erecti, quot postmodum abundè sunt creati.

Meminere ejus Agydius Gonzalez in Theatro Ecclesiæ de Goaxaca fol. 227. D. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispaniæ Nova tom. 1. pag. 153. Critici de Scriptoribus Ord. Præd. tom. 2 pag. 352. Illmùs Davila Padilla in Hist. Prov. Mex. p. 512. Remesalhus in Hist. Prov. de Chiapa p. 717. Melendez in Hist. Provinciæ Peruaniæ tom. 1. pag. 527. Burgoa tom. 2. secundæ part. Historiæ Geographicæ Provinciæ de Goaxaca fol. 411. Alva Franciscanus, in Militia pro Immaculata Conceptione, Nostrium quod pro ea steterit in Summario mox dicto Salmanticæ recuso citans & laudans. Florencia in Hist. Soc. JESU Prov. Mex. loco superius

dato. Plaza in Chron. Univ. Mex. lib. 1 cap. 3. n. 11. & alibi.

571 F. BARTHOLOMÆUS DE LETONA, Natione Hispanus, Instituta S. Francisci in Provincia Cantabrica Regularis Observantiæ sectatus, in Mexiceam S. Evangelij demigravit, in qua obitus Gymnasij laboribus pro Philosophiâ Theologiâ que exponenda tyronibus, Emeritus audivit, Præfecturas gessit insignes, & Commissarius Provincialis dicitur à Biblior. Franciscana. Ab Apostolicis Fidei Judicibus Censor designatus fuit, & à Provincia Mexicana sua Procurator Generalis Romam dimissus agendi ergo Causam V. Servi Dei F. Sebastiani de Apparicio, cujus ut Beatificationi in vitam ornaret, studium posuit & operam suam. Scripsit hispana dialecto.

Perfectam Religiosam, hoc est, Vitam & Acta Mariæ Hieronymæ ab Assumptione, primæ Excalceatarum Virginum Abbatissæ apud Manilam Philippinarum Insularum Urbem primariam. Angelopoli, ubi id temporis Guardianum Cœnobij sui agebat, Typis V. Joannis de Borja 1662 in quarto.

Nè quem verò subeat æquivocatio, monendum duximus, Vitam hanc à Letona conscriptam & editam, Librum esse diversum & ab alio in folio ejusdem Sanctimonialis res gestas complectente & ab alio Authore conscripto, Mexicique & Matriti cuso & recuso, quem S. Inquisitionis Tri-

bunal iustus de causis voluit esse profcriptum.

Concionem de S. Clara. Mexici, litteris Francisci Robledo...

Concionem de S. Parente Francisco, ibidem 1644. Cujus memoriam habet eruditissimus Alva in Portento gratiæ tabula 1. fol. 3.

Vitam V. F. Sebastiani de Aparicio, quæ inedita nobis videtur ex his quæ Betancurtius habet in quarto part. Theat. Mex. Tract. de Illustribus Provinciæ suæ viris pag. 143. n. 39. & Bib. Franciscana tom. 1. pag. 187.

Vitas non nullarum Monialium, quas apud se esse testis est Betancurt. Bibliot. autem Franciscana adjiciens Virgines istas esse Manilenfis Conventus, nescimus unde collarium hoc hauscrit, Betancurtio id silentio prementente.

Catalogum Franciscanorum Regio genere illustrium, adjectis earum viris. Angelopoli, formis V. Joannis de Borja 1662 si fides habenda est memorata Bibliot. referenti Cantabricæ Prov. enarrationem; è qua itidem addit Insularum Philippinarum descriptionem, eisdem Angelopolitanis typis excusam, quæ ut & Catalogus proximè recensitus nos hætenus fugit.

His addimus *Vitam Sororis Mariae Magdalene à Cruce Monialis de S. Clara, fundatricis Conventuum Manila & Macani, cui titulum dedit hispanum,*

Florilegium Franciscanum; elucidatio Mariana Conceptionis, &c. Extare apud Mantuam Carpenranorum in Bibliot. Regia Author est D. Antonius de Leon Pinelo in Epitome Occidentalis col. 849, qui in additionibus fol. 922. col. 3. aliorum meminit Nostri, quæ dedimus, Operum.

572 FR. BARTHOLOMÆUS NAVARRO A S. ANTONIO, Natione Mexicanus & Patria, Prædicatorum Ordinis in Provincia S. Jacobi Mexicea filius præclarus extitit: nam, quas prius altè imbiberat Philosophiam & Theologiam, Cathedris præfectus, alijs exactissimè tradidit, ut subinde litteratorum apud Familiam honores ad usque Magisterij gradum detulerit. Dominibus ejusdem insignibus præfuit, totiq; Provinciæ Prior datus, quam, ut erat in asserendâ austeriori observantiâ rigidissimus, severâ disciplinâ litterisque perpetuò nobilem, clarius elucescere capereque incrementa curavit. Nec de his tantùm sollicitus, insignia admodum egressus est opera, Sacrarium magnificum, itidemque Sacellum pro Sodaliibus sepeliendis, adeò augustum structurâ, spatioque patens, ut postmodum multos annos Templum egerit, omnibus Ecclesiasticis officijs & functionibus gravissimis, à Dominicanis sepissimè habitis, donec vetustate collapsa ab Imperatore condita olim Ecclesia Mexicea, à fundamentis

instaurata fuit, & sacrorum usui apta. Adhæc, Doctoratus in Sacra Theologiâ apicem assequutus in Academiâ Mexicanensi, Perpetuus Antecessor Cathedræ Divi Thomæ fuit renunciatus, atque strenuè docendi functus munere, multo fuit in Gymnasijs nomine. Pluris etiam ductus à Supremo S. Inquisitionis Hispaniarum Consilio, pro egregia, quæ pollebat doctrinâ, & aviri sanguinis claritate, Censoris perpetui officio cohonestatus merito cfulsit. Edidit materna lingua

Sermonem in Dedicatione Sacelli habitum à se Angelopoli, ibidem typis Didaci Fernandez de Leon 1685, in quarto.

Sermonem in festo Apparitionis Mexicee Imaginis Guadalupanae SS. V. Desparentis, Angelopoli itidem à se dictum, dum Primarium Theologiæ Professore ad S. Ludovici Pontificium agebat Collegium. Eisdem typis 1686 in quarto. Extant in Collect. nost. tom. 18.

Romano autem sermone dedit

Orationem pro justis solvendis Carolo II Catholico Hisp. Regi ab S. Inquisitionis Tribunali Mexiceo Mexici, apud Typographiam S. Officij 1701. in quarto.

Hispanicè *Sermonem in gratiarum actionem habitum in Ecclesia Metropolitanâ Mexiceâ, pro feliciter ductâ in Habanensia littora Classe, quæ ab Vera-Crucis Portu non sine multo ab infestantibus inimicis*

maria discrimine, operata divitijs solverat. Mexici, typis V. Francisci Rodriguez Lupetcio 1702 in quarto. Habetur in Coll. nostris tom. 9.

E Miss pauca licuit nobis ex Academicis Libris rimari, quæ subjungimus:

Tractatus de Predestinatione & Reprobatione.

Tractatus de Angelis.

Tractatus de Actibus humanis.

Tractatus de Legibus.

Tractatus de Auxilijs.

Ejus etiam curis in acceptis habemus recutum Monumentum oppidò insigne de publicè in Academiâ nostra repente datis eximia eruditionis argumentis ab inclyto viro M. F. Francisco Naranjo Ord. Præd. ejusdem Cathedræ Divi Thomæ Academico Professore, postmodum Episcopo Portudivitensi: cujus certè Monumenti pridem typis commisi, vix exentplar cum inveniretur, Nostri factum est operâ ut rursus prodiret ex Typographia Luperciana 1706 in fol.

573 D. BARTHOLOMÆUS PHILIPPUS DE ITA ET PARRA, Natione Mexicanus & Patria, genitoribus usus est D. Francisco de Ita, nobili stirpe viro, & huic junctâ conjugio D. Tercia Gomez de la Parra claro item sanguine femina & insigni pietate conspicuâ, cujus habet memorias P. Julianus Guttierrez Davila, tum in Vita P. Barcia lib. 4 cap. 9, tum in Monumentis

Historicis Congregationis Oratorij Mexicanensis part. 2. lib. 2. cap. 19. n. 249. quæque non majorum tantum imaginibus claudit, sed etiam fratre, litteris & virtutibus ornatissimo, Doct. D. Josepho Gomez de la Parra Angelopolitanae Ecclesiae Canonico Magistrali, junctisque sibi sanguine P. Joanne Martinez de la Parra Societatis JESU lumine micantissimo, & Doctore D. Josepho Martinez de la Parra Angelopolitano etiam Canonico, de quibus multa suis aptè in locis collocata lectori dabimus. Noster piè juxta & liberaliter educatus, à primis statim annis egregij dare specimen ingenij capit in litteras proni. Latinis apprime institutus, Philosophicas aggressus est sub Magistro Clarissimo P. D. Joanne Antonio de Oviedo in Collegio Maximo Societatis JESU Mexico eas proficiente, primosque inter Gymnasij alumnos merito est habitus, atque in Universitate Laureâ donatus. Theologorum albo adscriptus in ipsa almâ parente Academia Mexicâ, nascenti tunc in ædibus Oratorianis, quæ propterea etiamnum audit S. Philippi Nerij, Academiæ nomen itidem dedit, & jugi studio ac exercitatione cum in Theosophiæ abditis, tum etiam in amœniori litteratura dicendi que facultate, vulgari minime laude dignus evasit, quam porro tulit creatus Arcium Magister Theologiæque Doctor.

1774. In dies eruditione auctus & famâ, candidatum pro regendis Cathedris egit, quibus potius, Primariam Theologiæ quadriennio moderatus est in Emeriti D. D. Antonij de Gama octo virorum calculis suffectus quo tempore nos inter Discipulos ejus aderamus: ex inde Temporariæ Philosophiæ, quæ Vespertina dicitur, post, ejusdem Facultatis Primaria Antecessor Perpetuus incubuit, donec evolutis bis denis annis rure donatus est. Hæc inter, Præbendam in Metropolitana nactus Mexicâ, ubi pro Sacerdotijs, ut vocant, Officij sæpe contenderat, Magistrale pro concionibus sacris habendis multos inter egregij meriti petitores tenuit, proque exolvendo munere totos viginti annos insumpsit, sapissime è suggestu sacro dicens coram delibatissimo sapientum flore ac nobilium, nec semel ex tempore à subsellis ad Pulpitum evocatus, ob fortuitos in eo temporis articulo casus, qui dicturi erant, Oratoribus deficientibus. Hac exactâ provinciam plaudentibus omnium ordinum viris, quibus acceptissimus erat Orator, cum à natura comparatus & studio, tum etiam ab exercitatione, atque in cogitandis, disponendis, & eloquendis judicio, acumine, eloquentiâ, gravitate, & cæteris sacri concionatoris dotibus præditus; jure quidem, à Theauris ejusdem Ecclesiae Catholici Regis jussione fuit destinatus. Alijs præ-

præterea titulus clarus, gravissimis expediendis negotijs se dederat, S. Inquisitionis Officij Cenfor adlectus, Archiepiscopatus Synodalis Examinator institutus, Vacanteque Sede, aliquot Monialium Cœnobijs regendis præfectus. Ut autem pius admodum erat, Ecclesiastico dignos viro labores spontè susceperat, atque ad confessionibus, instituendisque in spiritu potissimum Virginibus deditus, sua in hisce obeundis otia libenter ponens. Tandem, gravi ac diuturno probatus languore, omnibus Ecclesiae Sacramentis munitus, placidè expiravit die 20 Augusti 1748. Edidit hispana dialecto Orationes sequentes.

Dolores oculorum, seu de cruciatibus Deiparentis. Mexici, typis H. Joannis Josephi de Guillena Carralesco 1712 in quarto. Extat in Collect. nostris tom. 47.

Trinus Rachelis planctus, seu declamatio funebri in Academia Mexicana pro Exequijs Illmi D. D. F. Antonij de Monroy Archiepiscopi Compostellani. Mexici, litteris Lupercianis 1716 in quarto. Extat in citato tom.

Necessitates B. M. V. in Servatoris nostri funere. Mexici, eisdem formis 1717 in quarto. In eo tomo.

Dolores Deiparentis Virginis in Consilio voluntatis sua habiti atque perpeffi. Mexici, ex eadem Officina 1718 in quarto. Extat dicto tom.

Publicum Mercatorum signum Mexicanensium, seu Panegyris dicta in festo à negotiatoribus acto pro altaris dedicatione, quod Patrono suo omniumque Assertori Christo dicaverant. Mexici, ex eadem Calchographia 1718 in quarto. Extat in eodem tom.

Libertas in servitute, seu Panegyris de patientibus in Purgatorio animabus. Mexici, è Domo H. V. Michachis de Ribera Calderon 1720 in quarto. Extat mox dicto tom.

Novum in cælum iter à S. institutum Philippo Nerio. Mexici, ex Typographia Luperciana 1718 in quarto. Extat t. 6. Coll. nostr.

Oratio in funere Illmi D. D. F. Josephi de Lanciego & Egulaz Archiepiscopi Mexicani. Mexici, typis Josephi Bernardi de Hogal 1728 in 4. Legitur t. 91. dict. Col.

Possessio spei sociata, seu de Patrocinio V. Deiparentis sub titulo de Remedijs. In Adibus Josephi Bernardi de Hogal 1730 in quarto.

Apoteosis S. Joannis à Cruce viventis. Mexici, typis ejusdem Hogal 1730. Habetur cum alijs ejusdem argumenti Opusculis in Libro cui titulus, *Secunda quinta decima Januarij, &c.*

Sanctus Sanctorum: Panegyris de Proto-Parente nostro Divo Petro. Mexici, mox datis litteris 1736 in quarto. Extat tom. 6 Collect. nostræ.

Peccata unica pestium causa, seu moralis concio habitâ, morbo, qui vagabatur, Mexicam infestante.

Marriti, ex Typographia Antonij Marin 1740.

Salutis Mater Guadalupana SS. Deiparentis Imago. Marriti, litteris Antonij Marin 1739 in 4.

Trinus Mexicea Aquile gemitus. Panegyricus funebris in Exequijs ductis Excmo. Viro D. Joanni Vasquez de Acuña Marchioni de Casa fuerte Pro-Regi Novæ Hispaniæ. Marriti eisdem formis 1740 in 4.

Monitrix salutis, seu de Lauretana V. Deiparentis Imagine sermo habitus, quo tempore pestifera lues Mexicam affligebat. Mexici, formis Hared. Michaelis de Ribera 1728 in quarto. Extat tom. 47. Collect. nostræ.

Imago Guadalupana Deigenitricis Mexicea, temporum domina. Oratio eo die habita quo ab depicta miraculo Imagine ipsa, duo secula fluxerant. Mexici, ex Typographia H. V. Michaelis de Ribera 1732 in quarto. Extat tom. 47. nostro.

Imago Patrocinij Guadalupana Mexicea Deiparentis Miraculis clara. Mexici, litteris V. Josephi Bernardi de Hogal 1744. Extat t. nostro 47.

Jeremie ejulatus expensus in obitu Excmi Viri D. Petri de Castro Figueroa & Salazar, Ducis de la Conquista, Marchionis de Gracia Real, Mexici Pro-Regis. Mexici, ex Calchographia V. de Hogal 1744 in quarto. Habetur t. nostro 47.

Amoris circulus, seu Panegyrica Oratio de florentissima Deiparentis Guadalupia Mexicea Imagine America nostra. Protectrice juramen-

to solemnissime renuntiata. Mexici, typis V. de Hogal 1747 in quarto. Habetur tom. 47. nostro.

Raptus à Deo Philippus. Funebris Declamatio pro justis Mexici solvendis Catholico Hispaniarum Regi atque Indiarum Imperatori nostro Philippo V. Mexici, litteris V. de Hogal 1747 in quarto. Habetur tom. 47. nostro.

Flos Sanctitatis, seu S. Aloysij Gonzaga Societatis Jesu Studiorum Patroni Apoteosis: Panegyrica Oratio habita in Collegio Maximo SS. AA. Petri & Pauli Mexiceo. Hispali, typis V. Francisci de Leefdael 1730 in 4. tom. 105. nostro.

E Mss. verò Bibliopegi operâ compaginato vidimus apud Hæredes Authoris

Sermonum tomos 5. in quarto. Scripsit item

Vitam insignis pietate Monialis Ursule à Virginitibus, cui ad S. Josephi de Gracia Cœnobium profecta, fuerat à Sacris Confessionibus; servaturque in ejusdem Conventus Archivio.

Vitam Egyptiorum Pro-Regis Josephi Patriarchæ politicis & moralibus animadversionibus illustratam 12 aut 15 Codicibus, quos credimus ab hæredibus cultodiri.

Latino sermone rituque Academicis concinnavit Lectiones, quas ex ejusdem Universitatis Libris eruimus.

In Aristotelis 8 Libros Physicorum.

In Libros de Anima.

In Libros de Ortu & Interitu.

Tractatum de Actibus humanis.

Tra-

toribus ejus, qui usui est nostro. Mss. Theologica præterimus, quoniam ea quæ fuerint nos fugit.

576 D. BARTHOLOMÆUS

ROSALES, Natione Mexicanus & Patria, Præsbyter secularis, Vir in paucis eruditus & doctus, à primis annis in Academiâ nostrâ Mexicanensî, & Maximo SS. AA. Petri & Pauli Collegio Societatis JESU amœnioris ingenij & ad plura comparati specimen dedit, jam ex tunc primos inter Scholæ Poetas conscriptus, atque eo nomine in publicis concertationibus celebratus, ut legere est in ea quam plaudendi ergo immaculatam Virginis Conceptionem ab Scholasticis institutam, prælo commissit Joannes de Guevara anno 1654 apud Viduâ de Calderon. Extat etiam latinum ejus Poema præfixum Centonico Virgiliano in laudem Virginæ Guadalupæ Imaginis Mexicanæ conscripto à D. Bernardo de Riofrio Canonico Vallisoleto apud Michoacanenses. Laureis insignis Academicis, multus fuit in Theologicarum studio rerum, earumque etiam, quæ ad utrumque Jus attinent, adeo ut sapientissimus Doctor Cardenas, qui id temporis Vicarium Archiepiscopi Mexicani generalen agebat, si quandoque intricatior, ut solet, causa apud eum verteretur, aut abstrusius negotium occurreret, Bartholomæum, quo cum familiariter agebat, ad prandium invita-

Tractatum de Bonitate & Malitia.

Tractatum de Conscientia.

Tractatum de Peccatis.

Tractatum de Prædestinatione.

Tractatum de Beatitudine.

Meminit ejus egregiâ cum laude P. Vincentius Lopez in de Seculis Marianæ Conceptionis Opere Mss, Seculo 18 pag. 866 & alibi.

575 FR. BARTHOLOMÆUS RAMIREZ, Natione Hispanus, è Granatensî Franciscanorum Provincia Regularis Observantiæ in Zacatecanorum ejusdem Instituti translatus juvenis, strenuam ubi dedit operam litteris, dignus est visus, qui eas postmodum tyronibus traderet Philosophiæ Cathedralis præfectus atque Theologiæ, quo perfunctus ritè munete quindecim annis, Lector Emeritus renunciatus, deinde Provincialis electus, ac tandem ejusdem Familiæ Cultos, ut dicitur, in Europam dimissus cum jure suffragij ad generalia Ordinis Comitæ Tolerana. Edidit materno sermone

Panegyrim de S. P. Francisco à se habitam in Cœnobio nudipedum S. Didaci Conventus Hispanensis anno 1681, tacito loco editionis nomineque Typographi.

Sermones varios Panegyricos, & quibus sex coram Catholico Hispaniarum Rege Carolo II dixerat, tom. uno Hispanensibus typis edidisse, author est nobis P. Arlegui Zacatecanensis Provinciæ Chronographus in sillabo Mss de Scrip-

KKKK

vita-

vitaret, & veterum ritu sapientum, tanquam aliud agens, inter epulas quæstionem proponeret; qua ille auditâ, opportunè ad rem & scitè dicebat, Authores allegans graviores, & varias, si quæ erant, in puncto sententias, à propriâ ferendâ solenni de more suo abstinens (erat enim timidioris conscientiæ) qua Vicarius industria multos facillè nodos exsolvit, & lucem pro obscurioribus nactus fuit. Noster pro ea qua erat etiam in tabularijs peritiâ & egregijs dotibus, à Capitulo Canonicorum Mexicanensium destinatus à Secretis, huic exactissimè muneri satisfecit, cui, post traductam Ecclesiastico viro congruentem vitam immortalis fuit. Inter familiares Illm. D. D. Alphonfi de Cuevas Davalos Antistitis Mexicani admodum venerabilis, olim cooptratus & à Secretis, vita functi colendissimi Domini sui, exinijs ornati virtutibus, Acta conscribere aggressus est, uti ex varijs ad eum datis Epistolis, quas præ manibus habemus, in conscribendam vitam collimantibus, palam fit: eam porro ad exitum deduxisse dubium nobis esse non potest, optantibus licet Codicem invenire, nec tamen, etiam conquisitione multa, invenientibus, quod à fide dignis testibus de visu audierimus, legisse edita aliquot ejus Operis folia hispanis typis, frustratâ deinceps editione, quam procuraverat vir Clarissimus

D. Joannes de Olivan & Rebelledo, æris defectu, proptereaque Authographo Mexicum remigrante. Sanè id ab Hispanis vilius hominibus compertissimum est à Nuncupatoria præfixa Libro *Scala mirabilis* nuncupato, seu de vita S. Petri de Arbues, à Doctore D. Salvatore Sylvestre de Velasco & Herrera conscripta, in ejus Nuncupatoriâ ad Majas Collegium Mexicæ Divæ Mariæ & omnium Sanctorum fol. 3 col. 1. ad marginem in fine hæc leges. *De D. Avalos* (cujus scilicet elogium unâ cum aliorum laudibus Collegarum in ea Epistola parte contextitur) *Siguenza in Triumpho Parthenico, & Rosal in Vina*. Quæ porro nos etiamnum latens, indicanda est tamen.

Vita Illm. D. D. Alphonfi de Cuevas Davalos Archiepiscopi Mexicani &c. Meminit ejus multa cum laude D. Antonius Robles in Diario, quod extat in Oratoria Mexicæ fol. 351 ad annum 1700. die 20 Aprilis emortuali Bartholomæi.

577 D. BARTHOLOMÆUS SANCHEZ PAREJA, Natione Peruanus, Limæ Regia Urbe ortus, Mexicumque deductus, Angelopoli Domicilium & sedem sibi constituit. Medicinæ operam strenuè navavit, gradumque Doctoris, non sine egregio plausu, tulit, quam dein spartam multis annis ornavit. Quantus in ea scientiâ fuerit, inde conjectu est facile, quod integro ab hinc re-

seculo & amplius, Systema excogitaverit, quod hac tempestate celeberrimè, hinc inde, à Recentioribus agitur, de quo præ manibus habemus Opusculum ab insigni Hispano inter Medicos D. Emmanuele Gutierrez de los Rios Præbytero, apud Gaditanos agente, Hispanensis Academiæ Doctore, concinnatum, typisque Hispanensibus cum Josephi Navarroti 1736 in quarto, itemque extat Friderici Hoffmani tom. 5. Oper. medic. in Opusculo de Aqua minerali Articulus 8 de Aqua medicina universalis pag. 201. Noster anno 1647 Aquam Alexipharmacum esse publicis thesibus defendendum proposuit, & verò etiam ad Hippocratis Aphorismata convenientissimè, atque ad Philosophiæ & Medicinæ dogmata plura satis appositè verbo juxta & scripto firmavit. Theatrum concertationi dedere gravissimæ Angelopolitani S. Augustini Cœnobij sacra Aedæ, apud quas & è Capitulo Clero que seculari Doctores sapientissimi, & delibatissimus Nobilium & Equitum flos convenerunt, unâ que ex omnibus Regularibus Ordinibus Angelopoli florentibus Magistri doctissimi, in primis autem Societatis JESU, quorum tunc erant ibi Collegia tria, atque eo præ alijs nomine frequentiori adfuerit coronâ, quod thesium institutus fuerit Meccenas R. P. Vincentius Carrasa Societatis JESU Generalis Præpositus.

Octava itaque die Januarij, Nostro agente Præsidentem, Bartholomæus Muñoz Parejo de Aralaz propositas 18 numero, proœmij loco theses substinuit, principiam sternens, quæ in tres ipsa dissecta fuerat, quam item est ruitus, argumentaribus septem ex Ecclesiasticis Familijs viris eruditissimis; rursusque instauratâ, die sequenti, palæstrâ Medicinæ professores conclusiones oppugnandas acriter suscipere, propugnatoribus, non sine multo adstantium plausu, satisfaciuntibus. De his porro thesibus doctum Noster Opusculum texuit, quo muniret ipsas atque firmaret, cuique Prølusiones solutâ & ligatâ oratione habitas in utroque certamine cum Nuncupatoria adjecit & tabellarij fide. Edidit Opusculum hoc titulo

Theatrum Apollineum: Triumphales latice Medicinæ: Hippocratica litteraria Næmæchia, Philosophica, Methodica, Empirica Contraversa, Generali studio, stadio publico defensata, gemina luce, octava & nona mensis Januarij anno Domini 1647. Ad gravissimum R. P. Vincentium Carrasa Præpositum Generalem Societatis Jesu. Angelopoli, ex Typographia Baccalauri.... in 4. Quod legimus ejus nobis copiam faciente D. D. Joanne Emmanuele de Bacza, Vespertino Medicinæ Professore Perpetuo Mexicano, itemque Proto-Medico. Nec verò intra Apollinæ septa facultatis continuit se, imò alio